1581

Vir prudens nemo nisi literatus.

INuida plebs quid agis? manibus conuellit Olimqui vim doctrinæ debilitare studet, (pum,
Si sapere est aliquid, nec virtus nomen inane est,
is, puto, Pierides quem docuêre, sapit.
Nam sine doctrina, neq; res priuata, nec ordo
publicus a damno liber abesse potest.
Forsitan hęc aliqui tunicati lucra popelli
ingenij credunt experientis opus:
At mihi, si viles quisquam benè calleat artes,
non erit is sapiens, fortè dolosus erit.
Crede mihi, nitido vehitur sapientia curru,
hinc atq; hinc Charites Pieridesq; tegunt:
Ante salutandæ sunt, proxima turba, sorores,
quam tibi regales porrigat illa manus.
Nec, quia tractandis valet experientia rebus,
nullus in ingenuis artibus vsus erit.
Quod facit hæc, sine mente facit, crudelis, & excors,
virtutemq; ipsa commoditate probat.
Quisquis at ingenuas coluit studiosius artes,
nec temerè is quicquam, nec nisi mite, facit:
Vtq; sit experiens è multo callidus vsu,
doctrina saperet plus tamen ille noua.
Hęc etenim docet abstrusas cognoscere causas,
& solidę monstrat cognitionis iter.

Ergo aliquis citius videat, sine luce, colores,
quàm, sine doctrina, quis sapuisse queat.

E

Anima separata à corpore omnes retinet facultates, & sensus, & intellectus.

OMnia, terrena quæ sunt é mole, vetustas
obruit, & tandem fata suprema premunt:
Mens, quia diuina est, post funera sola superstes
viuit, & in superas mittitur alma domos.
Nec quia corpus abest, minor est sine corpore sensus,
aut promit vires segnius illa suas.
Quin potius iam tum, quasi vinclis libera ruptis
euolat, atque suum plenius implet opus.
Ante quidem vero potuit dignoscere falsum:
Corpus at haud parui ponderis instar erat.
Libera nunc, nullaq; oneris grauitate repressa,
officium melius nouit obire suum.
Adde quod hanc animam, nisi sit mutilata, necesse est
posse nouas sensus suppeditare vices.
Mens etenim videt, & gustat, mens tangit, & audit,
Organa corporeæ cætera molis habet.
Quod si sensus abest, aberunt quoq; gaudia mentis,
Nec spes vlla animi, nec metus esse potest.
Vtq; haud inferni metuas penetralia Ditis,
Et sint horribiles, fabula vana, lacus:
Terror erit post fata tamen, si noxia mens est,
Inijcietq; metum vindicis ira dei.
Qui vel nullus erit, prauis iam funere functis,
Integer aut mênti, tum quoq; sensus adest.

Si mens ergo manet, nec mors simul omnia (tollit,
Certè erit, è nulla parte, caduca, sui.

H